



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio LVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

& tum foris mittebantur ab ijs, qui de corpore missæ erant, & nunc etiam permittunt iura excommunicatos usque post Euangelium interesse missis. Sicut Ioannes præcurrit Christum, ita Euangelium missam. Euangelium prostrernit & humiliat, Missa humiliat dat gratiam. Melius ergo facerent, si missam prohiberent.

Quam pulchrum uero dæmonibus spectaculum id esse putas, si quando ueniarum effusores, ipsi maxime uenijs indigi (puta Simoniaci & in Canones lapsi) dant illis, qui prorsus non egent uenijs:

CONCLUSIO LVI.

Thezauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christi.

HAEC est mors secunda, quam merui. Ideo postquam multa iam diu asserui, tam manifesta, ut protestatione non egerent. Nunc rursum aliquando disputandum est, ideoque & prestandum nouissima protestatione in hac disputatioe. Disputo ergo hic, & quæro ueritatem, testis lector, testis auditor, testis uel ipse hæretice prauitatis inquisitor.

CONCLUSIO LVII.

Temporales certe non esse patet, quod non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi Concionatores. SATIS patet experientia.

CONCLUSIO LVIII.

Nec sunt merita Christi & sanctorum, quia hæc semper sine Papa operantur gratiam hominis interioris, & crucem mortem, infernumque exterioris.

HUIUS Conclusionis materia profunde nimis inhaerit, atque penitus insedit fere omnibus doctoribus, ideo latius & firmitus probanda mihi erit, faciamque id cum fiducia.

De meritis sanctorum prius. Dicunt enim quod sancti in hac uita multa operati fuerunt, ultra debitum, uidelicet opera supererogationis quæ nondum sunt remunerata, sed in thesaurum Ecclesiæ relicta, quibus fit per indulgentias aliqua digna compensatio &c. Et sic uolunt sanctos pro nobis satisfecisse, Contra quæ arguo.

Primo, Ergo indulgentiæ non sunt indulgentiæ, quod probabo; quia non sunt gratuite remissiones, sed alienæ satisfactionis